

netur ab omnibus comprovincialibus, aut de eorum consensu a tribus, reservata Metropolitano confirmatione. 5. Excommunicatus ab Episcopo uno non recipiatur ab altero. 6. Patriarcha potestatem habeat in omnibus Patriarchatus sui Ecclesiis. 7. Episcopo Æliæ, h. e. Hierosolymæ, sit honor Patriarchalis, salvo jure Cæsarensis Metropolitæ. 8. Reversi ex Novatianis, si apud suos sint ordinati Clerici, maneant in Clero; si promittant servare leges Ecclesiæ catholicæ, et communicare bigamis et lapsis. 9. Criminosi aut sine examine promoti Presbyteri suspendantur. 10. Lapsi, per ignorantiam ordinati, deponantur. 11, 12, 14 Lapsi alii agant pœnitentiam. 13. Infirmis detur necessarium viaticum, h. e. absolutio sacramentalis, ut Conc. Araus. I, Can. 3 explicat. 15. Translationes Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum illicitæ sint ac irritæ. 16. Idem servetur circa omnes Clericos, nec alienos Episcopi ordinent. 17. Deponantur Clerici usurarii. 18. Diaconi Presbyteris se gerant inferiores, nec his Eucharistiam porrigant. 19. Paulianistæ, h. e. Pauli Samosateni sectatores, redeuntes ad Ecclesiam, baptizentur. 20. Die Dominica oratio fiat a stantibus.

## OECUMENICUM II. CONSTANTINOPOLITANUM I.

I. Concilium postulaverant dudum, præter varios Arianorum contra Nicænam fidem conatus, natæ interea multiplices, maxime autem MACEDONI Spiritui sancto divinitatem negantis, hæreses. Hujus habendi occasionem præbuit MAXIMUS Cynicus in Constantinopolitanam sedem intrusus: Indixit illud THEODOSIUS Senior Imp. solis Orientalibus, quorum 150 convenerunt, Pontifice summo nec per se nec per legatos præsentem. Habitum est Constantinopoli in Ecclesia, anno 381 a Calendis Maii ad finem Junii. Oecumenici prærogativam altero primum anno obtinuit, quo a congregata rursus Orientalium synodo Episcopi tres cum actis prioris missi sunt Romam ad DAMASUM, Occidentalium Concilium celebrantem; confirmationem dogmatum et conspirationem utriusque Ecclesiæ hinc referentes.

II. A principio quidem MAXIMUM sedis Constantinopolitanæ invasorem, GREGORIUM vero Nazianzenum jure meritoque eidem substitutum declararunt Patres. Displicuit postea TIMOTHEO Alexandrino hæc confirmatio, se suisque non expectatis facta; ab eoque dum variis ex titulis oppugnaretur, GREGORIO sponte Episcopatum abdicante, postremo electus est NECTARIUS. Has inter turbas pacate tamen agitata est causa fidei. Ac 1<sup>o</sup> quidem volumen Occidentalium de fide Antiochenorum circa Trinitatis personas probatur: 2<sup>o</sup> libellus fidei a GREGORIO Nysseno conscriptus, h. e. Symbolum Nicænum variis articulis contra natas tunc hæreses auctum, summa Patrum deliberatione examinatur probaturque: 3<sup>o</sup> Canones tres constituuntur, quorum prior et posterior PATRES, mediis NECTARIUM præcipue auctores habet. Addunt Græci quidam alios quatuor, sed contra opinionem probabiliorem.

III. Symbolum hic subjectum, qua parte antiquis litteris exaratum est, Nicænos, qua parte Italicis constat, Constantinopolitanos Patres conditores habet. Est autem hujusmodi.

«Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem Cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non

factum, consubstantiali Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis, et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Tertia die resurrexit a mortuis secundum scripturas. Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris. Inde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptismum in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam futuri seculi. Amen.»

CANONES: 1. confirmat per omnia Conc. Nicænum, anathema autem dicit Eunomianis, Eudoxianis, Macedonianis, Sabellianis, Marcellianis, Photinianis et Apollinaristis. 2. tria statuit: primo confirmat potestatem Patriarcharum in provincias a Nicæno designatas; secundo vetat, ne Episcopi nisi vocati ad ordinationes in alienis Ecclesiis accedant; tertio Episcopo Constantinopolitano decernit primum locum et dignitatis gradum post Romanum Episcopum; eo quod is sit Episcopus Romæ novæ. Hanc partem non accepit Ecclesia Romana usque ad tempora Innocentii tertii, qui bono pacis consulturus in Conc. Lateranensi quarto tandem cessit. 3. declarat Maximum perperam ordinatum, non esse habendum pro Episcopo, ejusque ordinationes et gesta rescindit.

## OECUMENICUM III. EPHESINUM.

I. Causam dedit NESTORIUS, duas in Christo hypostases statuens, idemque Mariæ Virgini nomen Deiparæ negans: qui cum nec CYRILLI Alexandrini Episcopi anathematismis, nec COELESTINI Pontificis Romani Litteris judicialibus corrigi se pateretur; THEODOSIUS junior Imp. a Cyrillo, juxta Evagr. L. 1. c. 3. rogatus convocavit Concilium, ad latam jam a Pontifice sententiam exequendam. Plures ultra ducentos convenisse Patres, plerosque Orientales, ex litteris Cyrilli et actis Concilii liquet. Exceptis Afris, Vandolorum irruptione turbatis, Occidentalium nomine aderant Legati Pontificis ARCDIUS et PROJECTUS Episcopi, ac PHILIPPUS Presbyter; qui et Pontificis loco præsederunt, una cum Cyrillo Alexandrino, sententiæ Pontificiæ executore non tantum ante, sed et intra concilium constituto; prout præter Evagrium et Liberatum Actio 1<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> necnon Relatio ipsius Concilii testantur. Congregatum est Ephesi in Ecclesia S. Mariæ, anno 431, habuitque 22<sup>a</sup> die Junii initium, 31 Julii finem, extremo Octobri complementum.

II. A 7<sup>a</sup> Junii usque ad 22<sup>am</sup> frustra expectato JOANNE Antiocheno cum Syris seu Orientalibus, Nestorioque post trinam evocationem necdum comparente: Actione 1<sup>a</sup> Legitur Symbolum Nicænum seu formula fidei: tum epistola secunda Cyrilli ad NESTORIUM et hujus responsoria; quarum prior laudatur, posterior reprobat a Patribus: dein producuntur viginti capita ex NESTORII sermonibus excerpta, quæ blasphema agnoscuntur: demum recitantur Litteræ postremæ CYRILLI, et contenti in illis anathematismi, subin productis SS. Patrum testimoniis, quæ tanquam orthodoxa recipiuntur. Tandem auditis de doctrina ex ore ipsius NESTORII percepta testimoniis, pronuntiat sententia, NESTORIUM velut novum Judam condemnans.

Rem ita confectam turbari aggressi sunt, NESTORIUS quidem provocatione, CANDIDIANUS Comes, tum missa ad Imperatorem mendaci expositione, tum litterarum Conciliarium interceptione, JOANNES vero Antiochenus interea advectus conflato ex suis et Nestorianis conciliabulo, quo Cyrillum Alex. et Memnonem Ep. Ephesinum seu Apollinaristas arguit, damnavit, deposuit. Atque hæc eo profuerunt, ut Theodosius, quantumvis per Cleri Constantinopolitani libellum melius instructus, quia tamen subsequa Irenæi Antiocheno addieti sinistra relatione in antiquum præjudicium retractus, depositionem ab utraque parte factam ratihaberet, et ad pacandum Synodi cursum Joannem Comitem ablegaret. Dum hæc fierent, appulsi et synodum ingressi

*Act. 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> Legati Pontificis præelectis COELESTINI litteris, et gestis primæ actionis examinatis, omnia tanquam secundum Canones acta probant, damnantque NESTORIUM. 4<sup>a</sup> et 5<sup>a</sup> de JOANNE Antiocheno, qui a CYRILLO ob illatam injuriam accusatus, cum jam tertio evocatus non comparet, excommunicatur, addita comminatione damnationis, ni retractet. 6<sup>a</sup> Damnato impio THEODORI Mopsuesteni symbolo, prohibetur novi symboli confectio et mutatio Nicæni. 7<sup>a</sup> Tractatur de ordinationibus Insulæ Cypri, et statuuntur octo canones, præcipuam partem contra dissidentes a synodo; quos tamen alii actioni quintæ tribuunt.*

Post hanc actionem appulit Joannes Comes, superiora THEODOSII mandata urgens, Patresque acriter vexans; donec octo ex utraque parte Legatis Chalcedonem evocatis ibidemque auditis, Imperator ad Synodi partes inclinavit, CYRILLO et MEMNONE cum reliquis ad suos redire permissis, NESTORIO autem in monasterium Antiochiam amandato. Ejusdem etiam opera factum, ut pax Cyrillum inter et Joannem altero tandem anno redintegraretur, anathematismis illius salvis, subscripta ab isto NESTORI damnatione.

III. Anathematismorum h. e. sententiarum, quas CYRILLUS diversis Nestorianæ hæreseos capitibus affixo anathemate opponebat, summa hæc est. Dicitur anathema illi: 1. qui negat Beatissimam Virginem *θεοτόκον*, h. e. Deiparam; cum Verbum caro factum sit: 2. qui negat unum Christum esse Deum simul et hominem: 3. Qui inter Verbum et humanitatem asserit unionem duntaxat moralem, secundum dignitatem scilicet, auctoritatem et potestatem, non autem naturalem et secundum unitatem: 4. qui prædicata Christi, pro ratione humanitatis et divinitatis, distinctis in Christo personis tribuit: 4. qui Christum non veraciter Deum, sed *θεοόμοιον* tantum, seu qui Deum ferat habeatque, confitetur: 6. qui Verbum statuit esse Dominum Christi. 7. qui Jesum dicit a Verbo adjutum et distinctam ab unigenito personam: 8. qui asserit Christum cum Verbo, tanquam alterum cum altero coadorandum, non autem una adoratione colendum Emmanuel: 9. qui non concedit Christum propria virtute, sed aliena tantum, patrasse miracula: 10. qui dicit Christum hominem, non autem Verbum incarnatum, semetipsum obtulisse; aut pro se et non potius pro nobis oblationem fecisse: 11. qui dicit carnem assumptam non esse Verbi divini, sed alterius cum Verbo conjuncti per dignitatem: 12. qui negat Dei Verbum esse passum, crucifixum, mortuum secundum humanitatem, et vivificatorem secundum divinitatem.

CANONUM compendium est: 1. Sentientes cum Celestio, h. e. Pelagiani (cujusmodi magna pars congregatorum cum Joanne Antiocheno erat) deponantur et communione priventur: 2. a Concilio deficientibus adhærentes

deponantur a Sacerdotio: 3. a Nestorio depositi restituantur: 4. Nestorii et Celestii sectatores deponantur: 5. a synodo damnati non restituantur: 6. Synodi perturbatores deponantur: 7. Non proferatur Symbolum aliud, præter Nicænum: 8. Episcopus in aliena diocesi non ordinet.

## OECUMENICUM IV. CHALCEDONENSE.

I. Hæresis EUTYCHETIS duas in Christo naturas post incarnationem negantis, et unam duntaxat sive per confusionem sive per absorptionem stantientis, plures jam turbas excitarat. Quamvis enim ut nata, mox damnata fuerit an. 448 in Conc. Constantinopolitano sub FLAVIANO, et LEONIS Pontificis ac THEODOSII Imperatoris tutela implorata caruerit: Dioscori tamen Alexandrini ope, sequente anno, obtinuit synodum Ephesinam faventem, quæ ob omnia per vim, injuriam et impotentiam ibidem acta, synodus prædatoria aut latrocinium audiit. Ad hanc rescindendam, ex consensu et adhortatione Pontificis, a MARCIANO, in Imperatorem jam evecto, convocatum est Concilium, primo quidem Nicæam, dein Chalcedonem. Aduere Patres ex aliquorum computo 636, plerique Orientales: Legati sanctæ Sedis et Præsides Paschasinus, Lucentius et Julianus Episcopi cum Bonifacio et Basilio Presbyteris. Conventus celebratus est Chalcedone in Ecclesia S. Euphemie Anno 451 ab 8<sup>a</sup> Octobris ad 1<sup>am</sup> Novembris.

II. In *Actione 1<sup>a</sup>* statim ab initio a Legatis Pontificis denuntiatur Dioscorus, quod inconsulta Romana sede, et hinc contra jus et usum, generale Concilium convocare eique sit præesse ausus: proin non inter Patres judex, sed in medio ut reus, sedere jubetur. Dein EUSEBIUS Dorilæi Episcopus, qui in Conc. sub FLAVIANO accusator, et hinc in Latrocinio Ephesino depositus fuerat, jam rursus accusat Dioscorum, et ad Acta Ephesina provocat. Hæc dum leguntur, Ægyptii primum THEODORETUM inter accusatores rejiciendum postulant: tum Syri factam olim sibi vim declarant: Patres FLAVIANI doctrinam et innocentiam ut probant, sic sententiam contra eum latam reprobant; e contrario autem EUTYCHETIS doctrinam hujusque approbationem damnant, approbatores autem deponendos judicant.

*Act. 2<sup>a</sup>*. Suscipitur de fide tractatio, et post lectum Nicænum ac Constantinopolitanum symbolum, recitatis geminis CYRILLI epistolis, illa scilicet ad Orientales et secunda ad NESTORIUM, unaque LEONIS ad FLAVIANUM, queis duæ in Christo nature asseruntur et probantur, acclamatur ab omnibus. Illyricis et Palestinis veniam iis dari postulantibus, qui prædatoriam synodum composuerant, Patres mentionem Dioscori fieri prohibent, quoad reliquos dissimulant.

*Act. 3<sup>a</sup>*. Lecto EUSEBII contra Dioscorum libello, hic semel iterum ac tertio evocatur ad Concilium. Ubi comparere renuit, gravissimis insuper flagitiis accersitus ab Alexandrinis, ex LEONIS sententia a Præsibus pronuntiatur depositus, acclamante Patrum choro, quod EUTYCHEN excommunicatum receperit, LEONIS epistolam legi prohibuerit, ipsumque excommunicarit.

*Act. 4<sup>a</sup>*. JUVENALIS, THALASSIUS aliique *Latrocinii* complices veniam precati, dicto EUTYCHETI anathemate et subscripta LEONIS epistola, ad Concilium et suas sedes admittuntur. Idem beneficium postulantibus pro Dioscoro Clericis non defertur; quin anathema in illum repetitur. Ægyptiis, antequam subscriberent, postulata eligendi Patriarchæ facultas conceditur, Renovantur

demum Concilii Antiocheni canones contra Clericos ab Episcopo secedentes, et causa ordinationis inter PHOTIUM Tyrium et EUSTATHIUM Beritensem Episcopos acta componitur.

Act. 5<sup>a</sup>. Cum fidei formula, a Deputatis concinnata, non satisfaceret; conventum est ejus loco sequi ex integro Epistolam LEONIS: additumque est Decretum amplissimum, quod præter *Nicenum et Constantinopolitanum* symbolum ac litteras CYRILLI geminas et unam LEONIS epistolam nominatas, compendium fidei de Incarnatione complectitur.

Act. 6<sup>a</sup> MARCIANUS Imperat. habet orationem ad Patres, qua ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam aut exercendam, se advenisse, inter alia declarat. Decretum superius dein legitur, et prius jam subscriptum acclamatione firmatur. Proponuntur post ab Imperatore tria disciplinæ capita, et a synodo probantur. Decreta tandem Chalcedoni dignitate Metropolitana honoraria, Patres discedendi facultatem postulant.

Petito hæc postrema ostendit Concilium a Patribus habitum pro finito; simulque discrimen inter sex prævias et alias sequentes actiones manifestum declarat: unde et post hanc actionem, in antiquis Conciliorum exemplaribus, subjiciuntur 27 Canones hujus Concilii ab omnibus probati.

Act. 7<sup>a</sup>. Compositio JUVENALEM Hierosolymitanum inter et MAXIMUM Antiochenum inita probatur. 8<sup>a</sup>. THEODORETUS Cyri, 9<sup>a</sup> et 10<sup>a</sup>. IBAS Edessæ Episcopi, uterque a DioscORO depositus et ob impugnatos CYRILLI anathematismos Nestorianismi suspectus, sed a LEONE in communionem jam receptus, dicto NESTORIO et EUTYCHETI anathemate, sedi suæ restituitur.

Act. 11<sup>a</sup> et 12<sup>a</sup>. BASSIANUS et STEPHANUS Ephesini Epp. ob vitium electionis exauctorantur, decreta in subsidium pensione annua. 13<sup>a</sup>. EUNOMII Nicomediensis et ANASTASII Nicæni controversia circa jus Metropolitanæ deciditur. 14<sup>a</sup>. Causa SABINIANI et ANASTASII de Perrhensi Episcopatu contententium, decernitur, statuta rursus posteriori pensione annua. 15<sup>a</sup>. Absentibus Sedis Apostolicæ Legatis, editur canon de sedis Constantinopolitanæ præcellentia, qui est ordine 28 in recensione canonum. 16<sup>a</sup>. Legati Pontificii se strenue opponunt postremo canoni: stant pro eodem Magistratus Cæsarei: cedunt et subscribunt Episcopi Asiæ primores. Vide can. 2. Conc. Œcum. II.

III. Pars fidei de Incarnatione principaliter est ista: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, constanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantiali Patri secundum divinitatem, consubstantiali nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Ante secula quidem ex Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundem Christum Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ in unam Personam atque subsistentiam concurrentis: non in duas personas partitum atque divisum, sed unum eundemque Filium unigenitum Deum Verbum Jesum Christum; sicut ante Prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudit, et Patrum nobis symbolum tradidit.*

CANONES ab Imper. propositi: 1. Monachi præter Episcopi voluntatem monasterium non ædificent; nec recipiant servos sine Dominorum consensu. 2. Clerici ne possessiones conducant aut procurationem suscipiant. 3. Iidem e propria in alienam Ecclesiam non transeant.

CANONES PATRUM. 1. Canones priorum Conciliorum serventur. 2. Simoniaci ordinatores, ordinati et mediatores puniantur. 3. Clerici et Monachi abstineant a secularibus negotiis, excepta pupillorum causa. 4. Monachi honorentur, obediant Episcopo, non excedant monasterio, nisi ob necessitatem accepta facultate. 5. Nec Episcopi, nec Clerici de una in aliam migrent civitatem. 6. Clerici non ordinentur sine Titulo; sic ordinatis non permittatur exercitium. 7. Clerici sub anathemate militiam aut secularia munia ne suscipiant. 8. Dispensatores pauperibus præfecti subsint Episcopo. 9. Clericus contra Clericum coram Episcopo, contra Episcopum coram Concil. Provinciali agat. 10. Plura beneficia habere simul non liceat. 11. Pauperibus litteræ tantum pacificæ, dignioribus commendatitiæ dentur in itinere. 12. Unus duntaxat in una Provincia sit Metropolitæ. 13. Peregrini Clerici non ministrent sine commendatitiis. 14. Lectoribus et Psalmistis ubi nubere licet, non liceat habere uxorem hæreticam aut infidelem. 15. Diaconissa non fiat ante annum 40<sup>um</sup>, nec nuptias contrahat. 16. Virgini Deo dicatæ aut Monacho nubere non liceat. 17. Parochianæ Ecclesiæ maneant sub eo Episcopo, qui eas per 30 annos quiete possedit. 18. Factio Clericorum contra Episcopum vel Clericos puniatur depositione. 19. Bis in anno habeatur Concil. Provinciale. 20. Episcopus alienum Clericum suscipiens, ipseque Clericus excommunicetur. 21. Non sine probatione admittatur accusator Clericorum. 22. Clerici defuncto Episcopo spolia facientes deponantur. 23. Clerici vel Monachi ad urbem regiam non facile accedant, vagi ad propria repellantur. 24. Monasteria Deo dicata non fiant secularium diversoria. 25. Episcoporum ordinatio fiat intra semestre. 26. In qualibet Ecclesia Episcopali statuatur Œconomus ex Clero. 27. Raptores mulierum et Cooperatores, si Clerici sint, deponantur; si laici, excommunicentur. 28. Ecclesia Constantinopolitana primum post Romanam locum obtineat.

## ŒCUMENICUM V. CONSTANTINOPOLITANUM II.

I. Occasionem et causam huic Concilio dederant turbæ circa ORIGENIS dogmata et tria CAPITULA vigentes. ORIGENIS quidem scripta, eo etiamnum vivente a DEMETRIO Alexandrino, et sub seculi 4. finem a THEOPHILO itidem Alexandrino ac EPIPHANIO Constantiæ in Cypro Episcopo errorum accersita et damnata fuerant; sed ab ipso ORIGENE, errores in corruptionem librorum ab hæreticis factam transferente, excusata, a Joanne CHRYSOSTOMO ob multorum erga ORIGENEM venerationem dissimulari jussa. NONNO et LEONTIO Monachis seculo 6 illius dogmata per Palæstinam et Orientem operose spargentibus aucta est discordia, quam finire conatum est præsens Concilium, 13 Canonibus, quos eruit primo Lambecius, latine edidit Harduinus, actis aliis nullam de hac causa mentionem facientibus. Trium Capitulorum nomine hic veniunt scripta et personæ trium Episcoporum THEODORI sc. Mopsuesteni, THEODORETI Cyrensis et IBE Edesseni; quorum prior ante Ephesinam Synodum in pace Ecclesiæ mortuus, ita scripserat contra APOLLINAREM, ut duas in Christo Personas assereret, et Beatam Virginem Deiparam negaret: posterior uterque in Synodo Chalcedonensi receptus, THEODORI laudator fuerat;

et alter quidem scripsit opus, quo Anathematismos CYRILLI arguit hæreseos; alter epistolam ad MARIM, qua etiam in Concil. Chalcedonensi lecta, eosdem perstringit. Horum itaque scripta cum hæretica essent, neque tamen damnata, quin et personis pax concessa; Nestoriani quidem contendebant hæc scripta a Concil. Chalcedonensi approbata; Eutychniani, maxime Acephali, hinc inferebant nullam huic Concilio esse auctoritatem: Catholicis utramque sequelam negantibus, sed in duas partes scissis; aliis nempe scripta hæc damnare verentibus, ne auctoritas Concil. Chalcedonensis læderetur, aliis personas a doctrina secernentibus et hanc reprobantibus, illas venerantibus ex eadem ratione. Consentiente VIGILIO Pontifice indictum est Concilium ab JUSTINIANO Imperatore, et frequentatum a Patribus 165, omnibus, exceptis quinque Afris, Orientalibus. VIGILIUS, quantumvis præsens, nec per se nec per legatos præsedit, sed EUTYCHIUS Constantinopolitanus Patriarcha: ut nempe Pontifex et a vi sibi caveret, et haberet integram decisionem in Concilio statutorum; cum non expectaretur numerus Occidentalium æqualis ab Imperat. promissus. Inchoatum est Constantinopoli in Secretario h. e. sacristia Cathedralis Ecclesiæ An. 553 die 4 Maii, absolutum 2 Junii.

II. Cum Synodi hujus progressus dependerit a principiis altioribus, et eventus non nisi post protractas longius dissensiones se penitus prodiderit, præter ordinariam Actionum enarrationem anteriora et sequentia adjungimus.

Qui damnati a Synodis, severa Canonum custodia, a MARCIANO continebantur Hæretici, maxime Eutychniani, ab illius funere erigere se et turbare cœperunt. Post primos Monachorum Alexandrinorum motus, gravissima tempestas orta est sub BASILISCO Tyranno, qui mandatum de abolenda Chalcedonensi Synodo dedit, et TIMOTHEUM Ælurum Alexandrinum hujus Concilii auctorem, PETRUM autem Cnaphæum seu Fullonem Antiochenum et ANASTASIAM Hierosolymitanum Patriarchas, præter quingentos plurimam partem ex Asiatica Diœcesi Episcopos obsequentes habuit. Componere hanc tempestatem, sed infeliceiter studuit ZENO Imperator suo HENOTICO, quod dicente ACACIO Constantinopolitano et PETRO Mongo Alexandrino Patriarcha subscribente editum, Sectæ Acephalorum occasionem dedit, et imperato silentio auctoritatem Conc. Chalcedonensis tacite diminuit. Fallacem hanc quietem novus turbo sub ANASTASIO Imp. excepit, utpote qui connitentibus ANTHIMO Constantinopolitano et SEVERO Antiocheno doctrinam et nomen Synodi Chalcedonensis rursus ita lacessivit, ut accedentibus maxime Nestorianorum et Origenistarum motibus, religio a ruina prope abesset. Cohibuit hanc quidem procellam JUSTINIANUS Imp. edicto in Eutychnianos promulgato: sed dum ex THEODORI Ep. Cæsareensis suggestionem, qui ob tria solum Capitula abhorrere a Chalcedonensi Eutychnianos persuaserat, decretum alterum hæc capita condemnans edit; Catholicos etiam quietos hactenus turbis involvit: ex quibus scilicet plures, præsertim Orientales, huic sententiæ acquieverunt; Occidentales autem plerique, metuentes nempe Concilio Chalcedonensi, sunt refragati. A postremorum partibus primo steterat VIGILIUS Rom. Pontifex, ideoque Constantinopolim appulsus, priores etiam a sua communione suspendit; donec a JUSTINIANO permotus septuaginta Episcoporum suffragiis acceptis, decreto, quod *Judicatum* appellavit, ad MENNAM Constantinopolitanum dato et ipse tria Capitula proscripsit, adjecta tamen hac restrictione, *salva in omnibus*

*Concilii Chalcedonensis auctoritate.* Vulgata per Occidentem hujus sententiæ fama, accendentibus invidiam Diaconis Pontificiis mendacibus, Africani maxime et Illyrici exarserunt impotenter adeo, ut *Judicati* approbatores ipsumque VIGILIUM communiione privarent. Rebus ita exasperatis mederi melius non posse censuerunt et VIGILIUS et JUSTINIANUS, quam convocato Concilio generali; quod cum hic indiceret, ille recepto ex MENNÆ manibus *Judicatum* omnem deinceps usque ad Concilium de tribus Capitulis quæstionem sub anathemate interdixit. Verum morarum prævisarum impatiens, et iterata THEODORI suasionem incitatus Imperator, Capitulorum damnationem dum renovat; VIGILIUS, quantumvis graviter diuque vexatus, constanti sua repugnantia tandem obtinuit, ut edicto novo sublato, Capitulorum cognitio Synodo permitteretur; cujus contra conventa acceleratæ, nunc collationes seu actiones subjicimus.

*Collatione 1<sup>a</sup>.* Recitata sacra JUSTINIANI jussione, ad examen et sententiam de tribus Capitulis ferendum, lectisque EUTYCHII Patriarchæ Constantinopolitani ad VIGILIUM litteris hujusque responsoriis, decretum est solemnem legationem invitare Pontificem, ut Concilio interesse velit. 2<sup>a</sup>. Relata per Legatos responsione VIGILII excusatoria, et de suo judicio speciatim dando promissoria, invitati Occidentales pauci, tum Constantinopoli præsentem; eorumque tergiversatione audita, statutum est discussionem quæstionis haud differendam. 3<sup>a</sup>. Congregati fidem quatuor Conciliorum generalium et SS. Patrum (speciatim ATHANASIAM, HILARIUM, BASILIAM, GREGORIUM NAZ. et NYSSENUM, AMBROSIAM, AUGUSTINUM, JOANNEM CHRYSOSTOMUM, CYRILLUM et LEONEM nominabant) profiterentur: omnesque Hæreticos ab his Conciliis damnatos damnant. 4<sup>a</sup>. Trium Capitulorum examen cœptum. Excerpta et recitata 70 blasphemia THEODORI Mopsuesteni dogmata Patres diversis formulis execrantur. 5<sup>a</sup>. Continuata est primo refutatio doctrinæ THEODORI: tum disceptatum, an liceat defunctos anathemate ferre; et pars affirmativa statuta: dein, post examinatum THEODORETI opus, anathema est pronuntiatum. 6<sup>a</sup>. Epistola I.B.E. discussa et damnata est, observantibus Patribus, IBAM in Chalcedonensi adactum ad anathema NESTORIO dicendum, ut ea convelleret, quæ in epistola scripserat. 7<sup>a</sup>. Missa ab Imperatore et lecta sunt diversa monumenta a VIGILIO prodita, quæ etiam post *Judicatum* damnarat tria Capitula: quin tamen inter ea esset *Constitutum* a VIGILIO 14<sup>a</sup> Maii, altera scilicet post 5<sup>am</sup> collationem die scriptum, et a 16 Episcopis signatum; sive Imperator illud necdum acceperit, sive cum Concilio communicatum noluerit, ne damnationem Capitulorum sufflaminaret. Summa autem Constituti hæc erat: Queritur ab initio Pontifex, contra pactas condiciones habitam Synodum: mox ad tria Capitula transiens, dogmata THEODORO Mopsuesteno attributa damnat et rejicit; ipsum tamen THEODORUM damnare non audet nec permittit: demum negat THEODORETI scripta et I.B.E. epistolam speciatim et sub eorum nomine esse damnanda; quamvis, quæ in iis a fide forent aliena, omnino repudiet: prohibet denique et reprobat omnia huic Constituto contraria. 8<sup>a</sup>. Definitiva sententia adversus tria Capitula fertur, et 14 Anathematismi subjiciuntur; quorum prioribus undecim damnantur Hæretici varii, frequentius autem Nestoriani et Eutychniani; posterioribus tandem THEODORI opera et persona, THEODORETI vero et I.B.E. personis intactis, scripta duntaxat.

Ad Concilii jam absoluti robur et auctoritatem desiderabatur adhuc summi

Pontificis confirmatio; quam post semestrem moram tandem Vigilius datis ad Eutyrium et Synodum litteris addidit, ut totius Orientis schisma alias futurum impediret. Quo facto nec reus fuit violati Concilii Chalcedonensis; cum id de THEODORO nihil, de THEODORETI autem et IBE personis quidem, non item de scriptis, statuerit: nec fidei læsæ; cum scriptis revera inessent errores, et auctores pro diversitate adhæSIONIS diversimode haberi possent: nec levitatis et inconstantiae; cum œconomia prudens, pacis Ecclesiae bono attentata, variationem hanc postulare. Quantumvis vero sequentes per integrum seculum ex ordine Pontifices approbationem non tantum renovarent, sed adjectis etiam expositionibus, apologiis editis, et penis intentatis muni- rent, emicuit tamen Occidentalium multorum in hoc Concilio suscipiendo repugnantia, orta tum ex metu præjudicii Chalcedonensi inferendi, tum ex ignorantia sive linguae græcæ sive historiae ad hanc causam hoc tempore necessariae. Eorum autem, qui repugnabant, duplex classis erat: altera mi- tiorum, qui scilicet dissidebant, servata tamen Ecclesiae pace et communione; inter quos Galli, Afri et Illyrici sub PELAGII I tempora, Hispani serius et alterum post seculum accesserunt: altera ferociorum et per schisma disce- dentium, nempe Istriæ et Venetiarum Episcoporum. In his reducendis PELA- GIUS uterque et GREGORIUS M. omnem doctrinæ et auctoritatis operam adhi- buerunt, successu difficili ac sæpius interpolato, tandem sub SERGII I ætatem felici.

III. In definitiva Concilii sententia præcipuum est sequens fragmentum: *Condemnamus autem et anathematizamus una cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati et anathematizati sunt a prædictis quatuor Conciliis et a sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, et Theodorum, qui Mopsuestiæ Epis- copus fuit, et impia ejus conscripta: et quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem et contra 12 Capitula sancti Cyrilli et contra Ephesi- nam Synodum, et quæ ad defensionem Theodori et Nestorii ab eo scripta sunt. Super hoc anathematizamus et impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse; quæ negat Deum Verbum de sancta Dei genitrice et semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse, et sanctæ memoriæ Cyril- lum, qui recte docuit, tanquam hæreticum et similiter Apollinario scribentem, calumniatur: et inculpat quidem Ephesinam Synodum, tanquam sine exami- natione et quæstione Nestorio ab ea deposito; et 12 S. Cyrilli Capitula impia et contraria rectæ fidei vocat: defendit autem Theodorum et Nestorium et impia eorum dogmata et conscripta. Prædicta igitur tria Capitula anathe- matizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis; et quæ impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quæ dicitur Ibe, et defensores eorum.*

Summa anathematismorum indicata est Collat. 8<sup>a</sup>; CANONUM contra ORI- GENEM hæc est: Damnantur, qui asserunt: 1. præexistentiam animarum seu mentium; 2. omnium rerum ex mentibus compositionem et unitatem; 3. ex iisdem mentibus facta astra; 4. tum homines et dæmones; 5. Angelorum conversionem tum secum tum cum hominibus et dæmonibus recipiantem; 6. duplex dæmonum genus; præexistentem Christum et ideam mundi; mun- dum non creatum sed genitum; 7. Christum per exinanitionem omnia factum; 8. Verbum abusive Deum; 9. mentem, non Verbum incarnatum; 10. corpus Christi post resurrectionem, et Beatorum corpora ætherea ac

sphærica; 11. in extremo judicio abolendam omnem materiam seu corpus, solam nudamque mentem superfuturam; 12. uniendas omnium rerum mentes Deo, ut mens, qui Christus dicitur, est unita; 13. æqualitatem mentis hujus cum cæteris; 14. imo unitatem et identitatem; 15. vitam denique posteriorem præexistenti priori commensurandam.

## OECUMENICUM VI. CONSTANTINOPOLITANUM III.

I. Quo anathemate in Conc. Chalcedonensi erant damnati MONOPHYSIÆ, seu unam in Christo naturam statuentes; eodem feriabantur MONOTHELITÆ, seu unam in eo voluntatem asserentes: cum æqualis sit argumentatio, et illa- tarum inter se commexio harum propositionum: In Christo est una Persona: ergo est una natura; ergo est una voluntas; ergo est una operatio. A jacto dudum fulmine posteriores tamen illasos se credebant, propterea quod seque- lam primam exterius saltem et verbis damnarent; secundam fingerent ideo asseri quod contrariam divinæ humanam aut illam, quæ carnis est, volunta- tem in Christo negarent; tertiam sub nomine operationis theandricæ purga- rent primum, demum dissimulare et a voce unius æque ac duarum operatio- num abstinere vellent. Errorem hunc efformarunt primo THEODORUS Ep. Pharanitanus A. 607; SERGIUS Constantinopolitanus A. 616; CYRUS Ep. Phasidis A. 626; idem Patriarcha Alexandr. factus publice prodidit in Synodo A. 633 et SERGIUM approbatorem habuit. SERGIUS in sede Constantinopolitana succes- sores omnes (nisi forsitan cum Concilio Thomam, Joannem et Constantinum excusaveris) PYRRHUS nempe, PAULUS, PETRUS, THEODORUS et GEORGIUS, cum plurimis Orientalibus, præsertim MACARIO Antiocheno, uti scriptis et doctrina, sic imperatores auctoritate et vi, HERACLIIUS etiam *Ecthesi*, CONSTANS *Typo* editis eundem errorem propagarunt. E contrario autem hunc ipsum provin- ciali sua Synodo jam prædamnatam detulit ad Romanam sedem A. 634. SO- PHRONIUS Patriarcha Hierosolymitanus: oppugnavit MAXIMUS Abbas et postea Martyr in Disputatione cum PYRRHO A. 645 in Africa, et in Collatione cum Judicibus Constantinopolitanis A. 655 Bizyæ suscepta: omnes denique in PETRI cathedra Honorio suffecti Pontifices profligare studuerunt: inter quos MARTINUS I congregata A. 649 Romæ in Laterano frequentissima Synodo prædecessorum suorum singularia opera complevit, proscribendo MONOTHE- LITARUM hæresin ac personas una cum HERACLII *Ecthesi* et *Typo* CONSTANTIS; quorum prior hæreticæ fidei formulam, posterior pacis sub silentii conditione conciliationem exhibebat. Sufflamen, quod CONSTANTIS impietas et credulitas his laboribus injecerat, sustulit tandem CONSTANTINI *Pogonati* religio, qui, quos Apostolicæ sedis auctoritas coercere non potuit, universalis Synodi pondere comprimendos decrevit. Scriptas hanc in rem A. 678 ad DONUM Pon- tificem Imperatorias litteras ubi successor ejus AGATHO accepit, ad damnandam hæresin et in diversis provinciis Synodos indixit, et ipse A. 679 Conci- lium 125 Episcoporum Romæ collegit; unde altero demum anno tres quidem nomine suo, Theodorum et Georgium Presbyteros, Joannem autem Diaconum, tres itidem alios, Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem et Joan- nem Rhegiranum Episcopos, Occidentalis Ecclesiae nomine, Constantinopolim ablegavit, additis ad Imperatorem litteris geminis, quibus habendæ formulæ Synodi forma præscribebatur. Convenerunt Orientales Patres a principio ad actionem 9<sup>am</sup> usque vix quadraginta; ad 15<sup>am</sup> usque, ultra octoginta: sub actio-